



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De remediis gulæ. Cap. XXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)



Mat. 5.3

cius recompensatur. Insuper magnam gloriam in caelo meretur patienter tolerata pro Christo temporalis penuria: quia, Beati pauperes spiritu, &c.

*De gula.*

## CAP. XXXVI.

Casian. li.  
5. de Spiri-  
tu Gastri-  
margia.  
6. 23.

**G**VLAE quatuor sunt species. Prima, ante debitum tempus, vel saepius quam deceat comedere, praeter necessitate, more pecudum. Secunda, cum nimia aviditate & impetu quodam vorare, sicut lupi & canes famelici. Tertia, nimis se implere, potius quam reficere, & plus sumere quam sit necesse ex inconsideratione vel delectatione. Quarta, nimis lauta vel exquisita quaerere. Haec nutrit avaritiam, sicut prior pigritiam vel acediam. Qui delicata quaerit, cupit diuitias, ut possit habere quae appetit. Nimia vero ciborum repletio pigritiam reddit: quia vas plenum ponderosum efficitur. Hebetat etiam intellectum, & affectum devotionis obruit & refrigerat, & agilitas retardatur, & in somnum ducit superflua ciborum repletio.

*De remediis gula.*

## CAP. XXXVII.

**R**EMEDIA gulae. Contra primam speciem sufficit bona voluntas, ut nolit plus vel saepius comedere quam sit conveniens. Infirmis autem non est lex posita. Iuvenes vero & laborantes sicut exigit necessitas, discretè refici possunt, quando consuetudo vel ecclesiastica institutio non repugnat. Contra secundam utilis est disciplina verecundiae, ut modestè se habeat, & impetum refrænet. Item consideratio: quia inordinata & nimis festinata refectio naturam grauat & minus nutrit, & plus æquo vult.



vult. Eadem etiam consideratio valet contra tertiam speciem, qua nimis sumitur; & quia verè impedit à bono opere sicut supra dictum est. Efficacius tamen remedium est contra tertiam & quartam speciem, nō habere vnde possit gulæ satisfacere. Vnde quanto quis pauperior fuerit, tanto minùs in hac parte peccabit.

Hæc est secūdūm traditionem seniorum prima pugna, quā devincere nos oportet: & quā rominùs superata fuerit, tanto validiora sunt cætera vitia contra nos, & nos debiliores sumus contra ea. Per gulæ peccatum mors intravit in orbē. Vnde & Christū diabolus primitus per gulam tentavit, quasi per ianuā aliorū vitiorū aditum quæres ad vltiora. Contra quā prout etiā cōtra alias voluptates vitiosas cōsiderare debemus, quā citò pertransit, quā breuiter durat: & quādo trāfacta fuerit, sic est quasi nunquā fuerit. Vnde cū delectamenta mūdi & carnis appetis, pone in corde tuo ac si iam habueris & satiatus sis, & hora præterierit: quia voluptas præterita est quasi somniū noctis transactum, imò contemptibilior: quia malam conscientiam facit perpetrata voluptas, euitata verò lætam & securam. Valet etiam contra omnes aduersitatum turbationes, si ponas in corde tuo iam durante aduersitate, quòd ira debeat esse, & aliter esse non possit: & quòd voluntas Dei sit quòd ita est, & disposuerit, vt ita eueniret. Quod enim sponte quisque disponit, inde minùs turbatur si eueniret. Cū autem turbaris quòd non euenit quod optaueras vel speraueras, cogita quòd multa alia non eueniunt quæ prospera fuissent si euenissent, & tamen non turbaris quòd non eueniunt: quia de quibus cor hominis non disponit sibi gaudium si eueniant, de his etiam non tristatur si non eueniant, verbi gratia: Si speras crastino

Vide Cas-  
sian. li. 5. de  
Spiritu Ga.  
strimargia.  
6. 13. & 14.

Mat. 4. 3

In aduersis & prosperis quomodo philosophandum.



habituum bonum prandium, lætariis: sed si  
 fortè spes tua frustretur, turbaris, quia lætitia  
 spei subtracta est. Sed si nihil speras, non trista-  
 ris si non euenit: quia vidèris tibi nihil per-  
 didisse, cum nihil habueris amittendum. Ho-  
 mo enim virtutis, sic debet omnē spem suam  
 & solatium in Deum ponere, vt nunquam ex  
 toto figat animam in terrena consolatione: &  
 quasi suspensum habeat desiderium ad omnia  
 exteriora non fixum: sicut qui super glaciem  
 incedit, leuiter ponit pedem tentando si crepi-  
 ret, vt retrahat pedem ne submergatur. Cum  
 ergo perdis aliquid quod diligis, pone in ani-  
 mo tuo quasi nūquam habueris, & quasi som-  
 nium fuerit quod videris habuisse, quòd tunc  
 more suo euauerit & in nihilum redactum  
 sit. Hoc orat Propheta cum affectu sibi inspi-  
 rari, dicens: Velut somnium surgentium Do-  
 mine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad  
 nihilum rediges. ] Hoc est, redige memoriam  
 istorum terrenorum in corde meo, quod est ci-  
 uitas habitationis tuæ, ad nihilum: vt nihil re-  
 putem esse vel fuisse quod pertransit, sicut  
 somnium de stratu surgentium obliuioni tra-  
 ditum nō curatur. Somnium est hæc vita ma-  
 lis & stultis, qui putant se esse quod non sunt,  
 id est, felices, & habere quod non habent. Et  
 non sunt vera bona: quia falsa sunt quæ habent.  
 Istæ considerationes non sunt phantasticæ di-  
 cendæ, sed veræ & sapientes: quia faciūt men-  
 tem tranquillam, & stabilem inter mundanæ  
 prosperitatis & aduersitatis varietates. Cum  
 ergo desideras quod nō habes, cogita quasi ha-  
 bueris & iam fraudatus inde fueris, & modò  
 pertransierit. Cum autem habes quod diligis,  
 noli nimis inniti ei per delectationis affectū:  
 sed cogita quòd citò pertransiet ista lætitia, &  
 nihil post se relinquit, nisi vestigia dolorum, &  
 debi-

In conso-  
 latione ter-  
 rena non  
 figendus  
 animus.

psal. 72, 10

Somnium  
 vita hu-  
 mana.



debitum suppliciorum. Cum ergo amittis quod amasti, æstima quasi nunquam habueris illud verè, sed tantum quasi in somno videris; vel in cogitatione imaginatus sis te talia habuisse: sicut imaginatur mihi quòd sim Rex Franciæ, & magnam gloriam & pompam & delicias & diuitias habeam: & post medicum Rex Angliæ debellet me, & capiat & spoliet me regno & gloria, & inanis remaneam ab omnibus. Si ergo peracta tali phantasia, grauius vellem turbari & tristari de illa regni phantastici amissione, vel si valde exhilarari voluissem ex delectatione huiusmodi gloriæ phantasticæ habitæ; nonne stulta tristitia vel inanis gloria esset moueri de his quæ nunquam fuerunt vel erunt? Tales enim vanas læticias & tristitias semper habere possemus, imaginando nobiscum & fingendo quaslibet glorias & delectationes, & seconuersò tristitias & dolores; sicut solent quidam insani & lunatici quibusdam phantasiis delusi ex confusione cerebri, etiam sine apparente causa exteriori, modò ridere modò flere secundum imaginationes interiorius conceptas tristes vel lætas. Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens, id est, viuens secundum hominem, non secundum Deum. Et quare? Veruntamen in imagine pertransit homo, velut in quadam imaginaria delusione, existimans se aliquid esse cum nihil sit: & ita nedum vanè extollitur, sed etiã frustra conturbatur vanis timoribus & mœroribus deiectus. Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea: quia ipse nescit an eis fruiturus sit, an alius cui fortè non debentur. Contra hoc sibimet Propheta consilium inuenerat dicens, Et nunc quæ est expectatio mea, nonne Dominus? & substantia mea apud te est? vbi iterum perdere non formido. *Econtra pone in*

Psal. 38, 6

Ubi supra

animo



animo tuo, de futura aduersitate non turbari: quia contingentia ita se habent, quòd possunt euenire vel nò euenire. Et saepe turbamus nos ante tempus timore illius quòd nūquam eueniet: sicut pueri aliquādo flent recordātes doloris, quē fortè haberent si parētes eorum moriantur, qui adhuc viui sunt, sani & incolumes. Quòd si etiam aduersitas certa futura est, tūc sufficit diei malitia sua, vt nō duplicemus nobis dolores præcedente angustia, cum sequens tribulatio per se satis excruciet. Hæc dico de temporali tribulatione, non de æterna, quam expedit nobis prætimere & præcauere. [Gregorius, Ante suppliciū de supplicio cogitate.] Instāte verò iam tribulatione vel aduersitate, considerāda est vtilitas aduersitatis: quomodo peccata purgat, cautos reddit à peccato, & subtrahit occasionem peccandi in multis: & exercet ad virtutes, ad humilitatem, & ad compassionem similia sustinentium, ad confugiendum sollicitiūs ad diuinum adiutoriū, ad experientiam diuinæ clementiæ, quæ tribulatis corde iuxta esse solet, & ad examinationē propriarum virtutum: quia in aduersitate plenius videmus quantum profecerimus in eis. Item ad maiorem gloriam promerendam & super omnia ad reddendum vicem Christo passo pro nobis. Transacta autem aduersitate gaude: quia euasisti sicut qui de naufragio euadit, vel de tempestate, & de via mala ad bonum hospitium peruēnit: & noli dupliciter te affligere rancore vel odio ex memoria iniuriarum contra illum à quo passus es: cogitans quòd si non meruisti apud illum vt te affligeret, tamen fortè meruisti apud Deum, vt puniri te permitteret; & ipse Deus iudex vsus est illo quasi tortore tuo ad iustitiam exequendam circa reum suum. Sic Assur virga furoris Domini

*Rem. 40. in  
Euang.*

*Isa. 10, 5*



mini dicitur: quia eo usus est quasi virga ad dandam disciplinam seruo suo Israël peccanti. Et sicut virga post correctionem filij in ignem proiicitur, sic & illi ultores Dei tandem punientur, maximè qui non recto zelo & iustitia proximos persequuntur. His quasi per excessum tactis, qualiter te inter aduersa & prospera immobilem conserues, ne prosperitates te extollant vel aduersa deiciant (quia aduersitas maximè versatur circa carentiã vel amissionem cupiti, & timorẽ vel tolerãtiã exosi) ad remedia & qualitates vitiorum considerandas redeamus. Non mediocriter autem valet ad morbos vitiorum sanandos, scire æquanimiter carere his quæ caro vel carnalis affectus appetit, & patienter sustinere & non pertimescere quæ horret & odit: sicut in medicina corporali, sanitati propinquat qui bene seruat dietam, & cauet à nociuis, & constanter recipit & sustinet amarũ poculum confectionis. Gregorius: Qui appetit plenè vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare.] Scio & abundare & penuriã pati, & esurire & saturari, vbique & in omnibus instructus sum.

*De luxuria.*

CAP. XXXVIII.

**L**VXURIA quadruplex est. Prima in corde, quando homo immundas & lubricas cogitationes scienter & voluntariè, causa prauæ delectationis versat in cogitatione, sine repugnantia consensus. Peruersæ cogitationes separant à Deo. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœcharus est eam in corde suo. Secunda est cum citra opus generatiuum satiat se libidinosis gestibus, amplexando, osculando, palpando, impudicè respiciendo, loquendo & auscultando turpia, vt sola dele-

Hom. 15. in  
Euan..

Philip. 4. .  
12.

Sap. 1. 3  
Mat. 5. 8